CLEMENS PP. XIII.

Morbio Z7 (168)

Venlis Frater salutem, et Aplicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Marchio Scaramuzza Visconti Mediolanen, quod ipse, qui sicut asserit, de nobili genere procreatus existit, pro sua spirituali consolatione Sacrosanctum Missae Sacrificium in privatis domorum suae habitationis Oratorijs celebrari facere posse plurimum desiderat. Nos igitur ipsum Exponentem specialibus favoribus, et gratijs prosequi volentes, et a quibusvis excomnis, suspnis, et interdicti, alijsque Eccticis Sententijs, censuris, et poe=nis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eidem Exponenti, ut ipse in privatis domorum suae habitationis in Civitate, et Dioecesi Mediolanen existen Oratorijs ad hoc decenter muro extructis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis per te prius visitandis, et approbandis, deque tui licentia arbitrio tuo duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum Secularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium praejudicio ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Dni nostri Jesu Xpti, alijsque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in sua, ac Consanguineorum, et Affinium secum insimul in eadem domo habitantium, familiaeque, et quoad Oratoria Ruri existentia etiam in hospitum nobilium suorum praesentia celebrari facere libere, et licite possit, ac valeat, licentiam auctte nostra Aplica arbitrio tuo concedas, et indulgeas. Non obstan Constitutionibus, et Ordinationibus Aplicis, caeterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod Consanguinei, et Affines praefati dictam unicam Missam ipso Exponente praesente dumtaxat audire, numquam vero celebrari facere valeant; Quodque familiares servitijs suis tempore dictae Missae actu non necessarij ibidem Missae hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Eccliae diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.

Datum Romae apud Sctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII Julij MDCCLXVII Pontus Nostri Anno Decimo.

N. Card. Antonellus

1767 . XXIX 316

Venerabili Fratri Archiepiscopo Mediolanen.

Morbio 27 (168)

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1880213060-12/fragment/page=0002